



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Quidnam Docebis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

**EXAMEN EORVM  
QVI AVDIVNTVR ANTE RITVM  
PVBLICAE ORDINATIONIS, QVA COMMEN-  
datur eis ministerium Euangelij.**

**QVID NAM DOCEBIS?**

**DOCEBO** Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

**QVID INTEREST INTER DOCTRINAM** Ecclesiae Dei, & alias sectas?

**OMNES** aliae sectae extra veram Ecclesiam, vt Ethnici, blasphemant Iudaei, Mahometistae, & alij, tantum docent particulam legis quibusdam externis & ciuilibus officijs, & addunt cultus idolorum, aliae alios. Prorsus autem ignorant filium Dei & Euangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de hereditate vitae aeternae, donandae per fidem in filium mediatorum. At in Ecclesia retinetur integra & incorrupta legis & Euangelij doctrina, & noticia filij Dei, crucifixi pro nobis & resuscitati. Sola autem illa congregatio, in qua agnoscitur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, est Ecclesia, in qua sunt multi vere placentes Deo, & recte inuocantes eum, & electi ad vitam aeternam, iuxta haec dicta, Iohan. 5. Qui non honorat filium, non honorat Patrem, qui misit eum. 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem, nisi per filium. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansorem apud eum faciemus. Haec sciri necesse est, contra Thammorem, Latomum Louaniensem, & similes, qui infinitam confusionem faciunt, & fingunt Ecclesiae membra ubiq; esse, Ethnicos & alios, quorum mores sunt honesti.

**DE DEO.**

**QVID EST DEVS?**

**DEVS** est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, libera, immensa sapientiae & potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui filium imaginem suam ab aeterno genuit, & filius, imago Patris aeterni.